

deterre a delictis providentiâ legum, rectum idemque necessarium : nequaquam tamen in isto omnia. Altius sanatio petenda populorum : advocanda vis humanâ maior, quæ attingat animos, renovatosque ad conscientiam officii, efficiat meliores : ipsa illa nimirum vis, quæ multo maioribus fessum malis vindicavit semel ab interitu orbem terrarum. Fac reviviscere et valere, amotis impedimentis, christianos in civitate spiritus ; recreabitur civitas. Conticescere proclive erit inferiorum ordinum cum superioribus contentionem, ac sancta utrinque iura consistere verecundiâ mutuâ. Si Christum audiant, manebunt in officio fortunati æque ac miseri : alteri iustitiam et caritatem sentient sibi esse servandam, si salvi esse volunt, alteri temperantiam, et modum. Optimæ constiterit domestica societas, custode salutari metu iubentis, vetantis Dei : eademque ratione plurimum illa in populis valebunt, quæ ab ipsa natura praecipiuntur, vereri potestatem legitimam et obtemperare legibus ius esse : nihil seditione facere, nec per coitiones moliri quicquam. Ita, ubi christiana lex omnibus praesit et eam nulla res impedit, ibi sponte fit ut conservetur ordo divina providentia constitutus, unde efflorescit cum incolumitate prosperitas. Clamat ergo communis salus, referre se necesse esse, unde numquam digredi oportuerat, ad eum qui via et veritas et vita est, nec singulos dumtaxat, sed societatem humanaum universe. In hanc velut in possessionem suam, restitui Christum dominum oportet, efficiendumque ut profectam ab eo vitam hauriant atque imbibant omnia membra et partes reipublicae, iussa ac vetita legum, instituta popularia, domicilia doctrinae, ius coniugiorum convictusque domestici, tecta locupletium, officinae